



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Idea Theologiæ Specvlativæ**

**Petrus <a Sancto Josepho>**

**Coloniæ, 1648**

Prooemivm. De ipsa Theologia secundum se.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38884**





IDEA  
THEOLOGIAE  
SPECVLATIVÆ.

PAVCIS MVLTA COMPLECTENS  
de Deo, de Christo, de Angelis, & de  
Gratia.

PROOEMIUM.

*De ipsa Theologia secundum se.*



RESOLVTIO I. *Theologia est necessaria ad salutem.* ] PROBATVR, quia illud est necessarium ad salutem, quod est necessarium ad gignendam, fouendam, & roborandam fidem: Theologia ad hoc est necessaria, ergo est necessaria ad salutem. Maior patet, quia fides ad eum est necessaria ad salutem, vt Paulus *Hebra. 11.* affirmet, sine illa impossibile esse placere Deo. Minor verò sumi solet ex Augustino *lib. 14. de Trinit. cap. 1.* & facile ostenditur quia cum res dei captum humanum longè excedant, debent illustrari, & defendi ope Theologiæ, vt intellectus ijs firmiter assentiatur. Eo vel maximè, quia assensus fidei debet esse prudens, qualis non esset, si homo rebus obscurissimis, & difficillimis assensum præberet, antequam ipsi sufficienter essent explicatæ, & varijs rationibus confirmatæ.

*Nota 1.* Theologiam scholasticam non extitisse ante Magistri tempora, quoad methodum, & ordinem quo traditur in scholis: qua ratione non est necessaria ad salutem, licet sit valde utilis: extitisse ta

A

men



men quo ad suam substantiam, seu quatenus est habitus scientificus varias conclusiones ex reuelatis deducens, quo sensu dicimus eam ad salutem esse necessariam.

*Nota 2.* Non omnes qui saluantur esse Theologos, eos tamen non saluari sine ope Theologiae; quæ proinde etsi non sit necessaria in singulis, est tamē necessaria pro singulis, saltē vt plurimū, & spectata via ordinaria qua fides in adultis gigni & augeri solet.

*Dico vt plurimum,* nam interdum contingere potest, vt quis extraordinariē, viso, verbi causa, aliquo insigni miraculo, tam efficaciter à Deo moueatur, tātaque luce perfundatur, vt siue alia declaratione, aut probatione Mysteriorum fidei, ijs propositis statim assentiatur.

RESOLVTIO II. *Theologia non incongruē dici potest scientia propria.*] RATIO EST, tum quia Theologia non potest commodē reduci ad vllum alium habitum intellectiuum, quam ad scientiam, vt consideranti patebit; tum quia cognitio discursiua habens omnimodam certitudinem, merito scientia vera & propria dici potest, etsi non habeat euidentiā: ideo enim Philosophi requirunt euidentiā in sciētijs naturalibus, quia nulla cognitio naturalis potest esse certa, nisi sit euidens; atqui Theologia est cognitio discursiua, eaque certissima, vtpote innixa principijs fidei: ergo est verē, & propriē scientia, esto non sit euidens.

*Nota* Theologiam defectu euidentiæ, non habere quidquid Philosophi communiter exigunt ad veram rationem scientiæ. Quod enim dicūt aliqui eam habere euidentiā consequentiæ, non sufficit, quia Philosophi prætereā exigunt euidentiā consequētis, quæ hic deest: neque etiam placet quod alij dicunt, veritates Theologicas clarē percipi per lumen aliquod medium inter lumen gloriæ, & lumen fidei: hoc enim repugnat manifestæ experientiæ, qua docemur, veritates illas semper in hoc vitæ statu manere



nere obscuras. Nego tamen hinc sequi, Theologiam absolutè loquendo non esse propriè scientiam; quia sufficit, quod non minùs certa sit, quàm si esset evidentissima; nisi tota quæstio ad voces reducatur.

*Neque dicas*, certitudinem non sufficere in hæreticis, ad rationem scientiæ Theologicæ, ideoque nec sufficere in nostra Theologia: Non enim est par ratio, quia certitudo hæreticorum est tantum subiectiva, seu tenens se ex parte affectus, cùm eorum Theologia inuitatur principijs, fide humana, quæ ex se fallibilis est, creditis. Nostra vero certitudo est obiectiva, quia fundatur in principijs à Deo reuelatis, & fide diuina creditis. Vnde Theologia hæreticorum non est propriè scientia, cùm ex modo assentiendi, non repugnet eam esse falsam: At Theologia nostra, ob rationem oppositam, non potest non esse vera: & hoc sufficit, vt propriè dicatur scientia.

*Nam* quod præterea obijciunt aliqui, Theologiã agere de singularibus, & contingentibus, quæ certa non sunt, facile refellitur; quia agit de illis, vt cadunt sub lumine diuinæ reuelationis, quomodo sunt certissima.

**RESOLUTIO III.** *Obiectum materiale primarium Theologia est Deus, ratio formalis quæ Deitas: ratio verò formalis sub qua, discursus ex reuelatis.* ]PRIMA PARS PROBATUR, quia Deus principaliter consideratur à Theologia, & gratia sui, cùm ad alia non referatur.

*Nota* non opus esse quod scientia consideret omnes veritates sui obiecti absolutè, sed illas tantùm quæ cùm ipsius lumine proportionem habent. Nulla tamen est veritas diuina quæ sub reuelationis lumine cadere non possit, & ex qua per legitimum discursum conclusio aliqua deduci nequeat.

*Secunda pars ostenditur*, quia quæcunque per se tractantur in Theologia reducuntur ad Deum, quia Deus est: vel enim agitur de ipsa Deitate, alijsque ad eam intrinsecè spectantibus, vel de rebus quæ



ad Deum vt sic, tanquam ad suum principium & finem referuntur.

*Neque dicat* Theologiam agere de peccatis, quæ tamen ad Deum vt ad suum principium vel finem, reduci nequeunt: agit enim de illis tantum per accidens, quatenus cum per se agat de medijs quæ ad Deum ducunt, consequenter tractat de ijs quæ ab illo auertunt.

*Tertia pars suadetur*, quia cum variæ scientiæ considerent Deum vt Deus est, oportet vt quælibet feratur in tale obiectum sub speciali quadam ratione formali quæ alijs non competat, aliàs inter se non distinguerentur; sicut ergo Theologia beatorum considerat veritates diuinas sub claro lumine gloriæ, ac proinde sine vlllo discursu: Theologia verò naturalis discurret de Deo ex principijs naturali lumine notis. Ita Theologia Christiana, de qua agimus, varia demonstrat de Deo prout per legitimum discursum oriuntur ex reuelatis.

RESOLVTIO IV. *Theologia vno modo spectata est vna specie scientia, alio minime.* ] Et quidem si agatur de Theologia adæquate spectata, quatenus completitur varias conclusiones, quarum aliæ ex duabus præmissis de fide, aliæ ex vna præmissa de fide, & altera naturali eruuntur, sic non est vna specie scientia, sed multiplex. Siquidem assensus deductus ex duobus principijs fidei, specie distinguitur ab assensu deducto ex duabus præmissis quarum alia est de fide, alia naturalis: habent enim diuersa specie motiua, & vnus est essentialiter certior alio, quare generant habitus specie distinctos.

Si verò agatur de Theologia strictiùs, vt procedit dumtaxat ex duobus principijs fidei, sic est vna specie scientia: illa enim scientia est specie vna, quæ habet vnum specie motiuum, seu rationem assentiendi: At Theologia eò modo spectata, hoc habet, quia suum obiectum considerat, quatenus per legitimum discursu deducitur ex reuelatis, & fide diuina creditis.

Et hoc



Et hoc est quod ait S. Thom. 3. p. q. 1. art. 3. Theologiam esse vnam, quia considerat omnia vt sunt diuinitus reuelata; scilicet mediatè, quatenus deducuntur ex reuelatis.

*Nota*, quòd etsi scientiæ naturales Adæ collatæ, quoad generationem penderent à reuelatione diuina, vt à causa efficiente; tamen quoad vsum nullo modo innitebantur reuelationi, vt motiuo assentiendi, sed alijs motiuis particularibus, per quæ inter se distinguebantur specie.

RESOLVTIO V. *Theologia nostra non est propriè subalternata scientiæ beatorum.* ] RATIO EST, quia ex communi sententia Philosophorum, quam hîc supponimus, ad scientiam propriè subalternatam requiritur primò, vt habeat pro obiecto materiali, partem obiecti scientiæ subalternantis; at idem est obiectum materiale Theologiæ nostræ, & beatorum, nempe Deus.

*Secundò*, vt consideret in obiecto suo formalem aliquam rationem particularem, quæ non competat obiecto subalternantis; atqui non modo Theologia nostra, sed etiam beatorum habet pro obiecto formali Deum, vt Deus est.

*Tertiò*, vt principia subalternatæ sint conclusiones subalternantis; at eadem sunt principia in Theologia nostra, ac in scientia beatorum, nempe articuli fidei; cum eo tamen discrimine, quòd à beatis clarè videantur, à viatoribus autem obscurè: quod sanè ad propriam subalternationem non sufficit.

*Quartò*, vt scientia subalternata coniungi possit in eodem intellectu, cum subalternante: at Theologia nostra, cum essentialiter sit obscura, non potest, saltem de lege ordinaria, coniungi cum scientia beatifica. NEQVE REFERT illud Hieronymi *epist. ad Paulinum*. Discamus in terris, quorum scientia perseverat in cœlis; non enim est sensus, mansuram in cœlo Theologiam nostram, sed tantum nos ibi



habituos claram, & perfectam cognitionem eorum, quæ hic obscure percipimus.

RESOLUTIO VI. *Theologia est simul speculatiua, & practica, idque formaliter, magis tamen est speculatiua quam practica.* In primis quod sit speculatiua, patet, quia agit de obiecto non operabili, nempe de Deo, de Christo, de Angelis, alijsque rebus circa quas non nisi cognitio speculatiua versari potest.

*Secundò*, quod etiam sit practica PROBATUR, quia illa scientia est practica, quæ agit de obiecto operabili, modo operabili: at Theologia agit ex parte de tali obiecto: cum enim consideret Deum ut finem vltimum, consequenter agit de medijs quibus eiusmodi finem assequi possumus, nempe de virtutibus, & de modo quo earum actus fieri debent, ut sint boni, & meritorij in ordine ad vitam æternam.

*Tertiò*, quod Theologia sit formaliter speculatiua, & practica, probatur, quia producitur per actus, quorum alij sunt formaliter speculatiui, nimirum illi qui consistunt in mera alicuius veritatis contemplatione: alij formaliter practici, ij videlicet qui aliquid faciendum præscribunt, ipsamque operationem dirigunt.

*Quartò*, quod sit magis speculatiua quam practica, ea ratione ostenditur, quia præstantiores habet veritates speculatiuas quàm practicas: siquidem veritates de Deo vno & Trino, de Christo, de Angelis, de creatione, de prædestinatione, & similes longè excedunt veritates practicas, quæ traduntur de actibus virtutum.

*Nota*, quòd sicut intellectus, etsi vnicus sit, distingui solet in speculatiuum & practicum: ita Theologia, etsi vnica sit, potest esse simul speculatiua, & practica. Mitto quòd Theologia adæquatè sumpta, complectitur varios habitus specie distinctos, ut patet ex supradictis.

R E S O.



RESOLUTIO VII. *Theologia quoad dignitatem præstat scientijs naturalibus; ipsaque est certior.* ] PRIOR PARS PROBATUR ex triplici capite. *primò* ex præstantia materiæ quam tractat : agit enim de Deo Vno, & Trino, de Christo, de ultimo fine supernaturali creaturæ rationalis, & de medijs eiusdem ordinis, quibus potest comparari : quæ & similia à scientijs naturalibus non tractantur. *Secundò*, ex principijs supernaturalibus quibus innititur: argumentatur enim ex articulis fidei à Deo reuelatis; aliæ verò scientiæ fundantur in principijs naturalibus. *Tertiò*, ex lumine supernaturali, & infuso quo acquiritur : cum tamen scientiæ philosophicæ per solum lumen naturæ comparentur.

*Posterior pars*, facilè ab omnibus conceditur de Theologia quoad conclusiones quæ euidenter eruuntur ex duabus præmissis de fide : cum enim conclusio sit certa propter præmissas, ea sanè est certior, quæ habet præmissas certiores. Idem etiam probabilius existimant aliqui, quoad conclusiones quæ vni propositioni de fide, & alteri naturali innituntur : illa siquidem conclusio videtur certior ad cuius certitudinem plura concurrunt, vt hic contingit.

*Confirmatur*, nam supposita veritate naturali, illius propositionis philosophicæ, omnis homo est risibilis; cum fides doceat, Christum esse hominem, neque id doceat de Paulo, profectò certius videtur, Christum esse risibilem, quàm Paulum. Verùm ad soluendas obiectiones.

*Nota 1.* Lumen naturale esse à Deo vt à prima causa, & generatim dari vt cognoscamus verum : lumen autem fidei esse etiam à Deo vt à prima veritate, nēpe vt eius testimonio assensum præbeamus; quare hoc debet esse certissimum, cum prima veritas nec falli, nec fallere possit.

*Nota 2.* quod vulgò dicitur, effectum sequi debiliorem partem suæ causæ, non ita intelligendum



esse, ut effectus sit semper imperfectior, debiliori parte suæ causæ: experientia quippe oppositum satis ostendit, cum mares nascantur ex mare, & foemina; mulique ex equo, & asina procreentur: sed sensus est, si quis defectus reperitur in effectu, eum in causam debiliorem referendum esse; & sic quod conclusio orta ex vna de fide, & alia naturali, non sit tam certa, quam quæ procedit ex vtraque de fide, id habet ex præmissa naturali, quæ quoad certitudinem, est pars causæ debilior.

RESOLVTIO VIII. *Theologia nostra meretur propriè nomen sapientiæ.* ] RATIO EST, quia conditiones veræ sapientiæ illi competunt, agit enim de rebus propriè infinitis, quæ sub reuelationem cadunt; considerat res difficillimas, & à sensu remotissimas; multo maiorem habet certitudinem quam scientiæ naturales; versatur circa causas vniuersalissimas rerum omnium, & per illas iudicat de inferioribus scientijs, easque dirigit ad veritatem: ac denique ipia non ordinatur ad alias, quin potius alia debent ad eam ordinari, ut illi famulentur, & ab ea corrigantur.

*Neque refert*, quod in vulgari diuisione habituum intellectualium, sapientia ponatur ut habitus à scientia distinctus: nam duobus modis potest aliquid distinguui ab alio, nempe per exclusionem, aut per maiorem inclusionem. At sapientia distinguitur à scientia hoc posteriori modo, quatenus illam includit, & aliquid aliud: vel dic, in illa enumeratione habituum sapientiam distinguui à scientia, prout hæc sumitur pro habitu conclusionum spectantium ad scientias inferiores.

*Neque etiam refert*, quod Theologia varias propositiones mutuetur à scientijs naturalibus: id enim non impedit, quin vera sit sapientia, quia eiusmodi propositiones non sumit ab illis ut à superioribus, sed potius tanquam ab inferioribus, & ancillis, quibus vititur propter defectum intellectus nostri, ut scilicet  
per



per ea quæ sunt nota lumine naturali, facilius euehatur ad cognitionem supernaturalium, quæ in hac scientia traduntur, vt S. Doctor obseruat. 1. p. q. 1. art. 3. ad 2.

Accedit quod Theologia ita vtitur propositionibus philosophicis, vt de ijs iudicet, neque eas admittat, nisi quatenus nouit suis principijs esse consentaneas. Vnde respuit illud, Accidentis esse est inesse: quia ex eo sequeretur, in Eucharistia, post consecrationem, accidentia panis, & vini non esse sine subiecto; quod repugnat fidei, & sic de alijs.

RESOLVTIO IX. *Theologia aliquo sensu est argumentatiua, alio nequaquam.* ] EXPLICICO : In primis Theologia dici potest argumentatiua triplici titulo. 1. quia cum sit scientia, adeoque discursiua procedit ex suis principijs ad varias conclusiones probandas. 2. quatenus etiam sua principia aliquo modo probare potest, nempe vel argumentando ad hominem, vt cum ex veteri testamento contra Iudæos ostendit, incarnationis mysterium peractum esse: vel si aduersarius nullum fidei principium admittat, proponendo varia motiua quibus sufficienter probatur articulos fidei nostræ credendos esse. 3. quatenus euidenter negatiuè, vt aiunt, soluit argumenta suis principijs opposita: proponendo videlicet rationem aliquam, qua ostendit se non adeo ijs conuinci, quin merito dubitet de eorum veritate.

*Non tamen potest* Theologia ita dici argumentatiua, vt sua principia clare demonstrèt esse vera: quia non argumentatur nisi vel ex vtraque præmissa de fide, vel saltem ex altera; quouis autem ex his modis procedat, semper conclusio erit ineuidens. At neque sic Theologia est argumentatiua, vt possit soluere euidenter posititiuè argumenta suis principijs opposita: quia hoc modo ea argumenta soluere, est ostendere eorum falsitatem: non potest autem Theologia euidenter eiusmodi argumentorum falsitatem



fitatem ostendere, quin euidenter demonstret ipsos fidei articulos, quibus repugnant, esse veros ; quod impossibile est, ex iam dictis.

*Atque ita* vt res exemplo fiat illustrior, si quis cōtra mysterium Trinitatis, obijciat; vbicūque est personarum distinctio, ibi quoque esse naturarum distinctiōnem ; non poterit quidem Theologus euidenter positiuè ostendere falsitatem illius propositionis; quia vt hoc possēt, deberet euidenter ostendere veritatem istius : non semper ibi est distinctio naturarum, vbi est personarum distinctio ; & consequenter: cū hęc non habeat locum, nisi in Trinitate, deberet euidenter demonstrare, hoc mysterium esse verum, quod impossibile est. Poterit tamen refellere propositionem prædictam, euidenter negatiue: siquidem ea fundatur in quadam inductione rerum creaturarum, quæ quot habent hypostasēs, tot habent naturas numero distinctas ; vnde concluditur, idem dicendum de Deo. At talis consequentia ea ratione negari potest, quia etsi quælibet natura finita & limitata vnico supposito sufficienter terminari possit, non sequitur idem dicendum esse de natura diuina; quia cū sit infinita, & illimitata potest exigere plura supposita, in quibus subsistat: sicut plura alia, omnium consensu, exigit, quæ nulli creaturæ, quantumuis perfectæ, possunt competere.

*Nota*, Theologiam non probare quidem euidenter, mysteria fidei nostræ esse vera ; cū illius argumenta non necessitent intellectum nostram ad assentiendum eiusmodi mysterijs, vt experientia satis ostendit. Probare tamen euidenter, ea esse credibilia; siquidem ex rationibus, seu motiuis fidei, de quibus agetur in Idea Theologiæ Moralis, prudens quisque iudicare debet, illa esse vera, & à Deo reuelata.

RESOLUTIO X. *Varij sunt loci Theologici. qui omnes ad sex capita facile reduci possunt.* ] PRIMUS  
LOCUS



**LOCUS** sumitur ab auctoritate Scripturæ Sacræ, quo nomine intelligi solet doctrina in nostris biblijs contenta, quæque ab Ecclesia proponitur vt canonica. Vt autem intelligas qua ratione Theologus ex hoc loco argumentetur.

*Nota 1.* Sacram Scripturam duplicem sensum habere, nempe historicum seu literalem, & spirituale. Litteralis est quem verba siue proprie, siue metaphoricè accepta immediatè significant; spiritualis qui significatur per res ipsas verbis significatas. Vnde oritur vulgaris diuisio sensus spiritualis in allegoricum, tropologicum seu morale, & anagogicum: quorum primus spectat ad instructionem fidei, secundus ad institutionem morum, tertius ad statum futuræ vitæ.

*Nota 2.* quod etsi Theologus possit efficaciter argumentari, tam ex sensu literali, quam ex spiritali quando de ijs constat: interdum tamen contingit v firmius petatur argumentum à literali, eo quod facilius deprehendi possit.

*Secundus locus est* ex Traditionibus, seu dogmatibus, quæ non habentur formaliter in Scriptura, sed à Christo, vel eius Apostolis profluxerunt: huius autem loci non minor est vis quàm præcedentis, siquidem doctrina sacra non ideo est certa & infallibilis, quia literis consignata est, sed quia est à Deo inspirata; siue alioqui scriptis exaretur, siue viua voce tantum declaretur. Vt autem intelligatur quænam sit traditio diuina ad fidem spectans, hæc regula obseruanda. Quando Ecclesia recipit tanquam ex fide certam veritatem aliquam in Scriptura minimè contentam, credendum est Apostolos diuinitus inspiratos talem veritatem Ecclesiæ tradidisse.

*Tertius locus est* ex decretis Conciliorum Generalium, quæ à summo Pontifice sunt approbata: talia enim Concilia errare non possunt in rebus siue ad fidem, siue ad vniuersales Ecclesiæ mores spectantibus, vt vel ex eo patet; quod nulla fidelium



P R O O E M I U M.

congregatio meliùs repræsentat Ecclesiam , quam Concilium Generale à summo Pontifice approbatum. Ecclesia autem cum sit columna & firmamentum veritatis , ita regitur à Spiritu sancto vt errare non possit, in ijs quæ vel credenda, vel facienda tanquam ad salutem necessaria, proponit.

*Quartus locus* est ex decretis summorum Pontificû, qui in decidendis fidei quæstionibus errare non possunt. Cum enim Romanus Pontifex sit Petri successor, quoad primatum Ecclesiæ , sequitur eum non posse errare in determinandis fidei quæstionibus; quia alias tota Ecclesia posset in errorem induci cõtra expressam, & certissimam Christi promissionem, Pontifex tamen vt persona priuata in fide errare potest; sic enim non dirigit Ecclesiam , sed tantum vt illius Pastor, & Vicarius Christi, qua tantum ratione Deus infallibiliter ei assistit, ne in fide errans, alios in errorem inducat.

*Quintus locus* est ex communi Sanctorum Patrum consensu : quod enim illi vniuersaliter circa fidem tradunt , infallibiliter verum esse censendum est. Quia cum oues suorum Pastorum vocem teneantur audire, si omnes Patres possent errare in fide, posset & tota Ecclesia. Ad hunc autem locum potest reduci consensus omnium Theologorum, quia cum in munere docendi fideles , succedant antiquis Doctoribus; si omnes in fide errare possent , sequeretur totam Ecclesiam in errorem labi posse. Vnde non immerito temeritatis arguuntur, qui in re aliqua grauioris momenti, à communi Scholasticorum sententia, recedunt.

*Neque dicas* ex Augustino , relato à S. Doctore 5. part. quæst. 1. art. 8. ad 2. exceptis authoribus sacrae Scripturæ , alios omnes ita legendos esse, vt quantumuis doctrina , & sanctitate polleant, non propterea existimetur verum esse , quod ipsi scripserunt. Id enim intelligi debet, de hoc, vel illo Doctore sigillatim, non de omnibus coniunctim; præfer-



præsertim quando in re aliqua ad fidem, aut bonos mores spectante, vnanimiter consentiunt.

*Sextus locus* constat ex ratione naturali, qui vsui esse potest, tum ad ostendendum veritates fidei non aduersari rationi naturali, etsi sint supra illam; tum etiam ad diluenda argumenta quibus fides Catholica ab infidelibus impugnari solet. Ad hunc autem locum reducuntur philosophorum placita, & historia humana; ex quibus interdum Theologia argumenta depromit.

## LIBER I.

## D E D E O.

## C A P V T I.

*De existentia Dei.*

**R**ESOLVTIO I. *Deum esse est per se notum secundum se, non quoad nos.*] PRIMAPARS PROBATVR, quia cum esse notum per se, idem sit ac non esse notum per aliud, illa propositio merito dicitur per se nota secundum se, cuius prædicatum est de intrinseca ratione subiecti; siue hoc ad talem propositionem necessario requiratur, siue non: ea enim secundum se non indiget vlllo assensu priori, cuius vi intellectus ducatur in assensum connexionis prædicati cum subiecto per illam significata. Atqui esse est de intrinseca ratione Dei, ita scilicet vt Deus essentialiter existat, vt infra dicemus. Ergo Deum esse, seu existere, est per se notum, secundum se.

*Secundapars ostenditur*, quia illa propositio dicitur per se nota quoad nos, quæ perspectis terminis à nemine negari potest: At nonnulli negant existere id quod Dei nomine significare solemus, nimirum ens quoddam præstantissimum, à se necessario existens,